

Band XI., Nr. 5229, Seite 208-211

Der Edle Konrad von Boxberg verkauft an den Landkomtur in Franken und das Deutschordenshaus in Mergentheim alle seine Güter in Uiffingen, Schillingstadt, Schwabhausen, Neunstetten, Epplingen und Bobstadt.

Ohne Ortsangabe, 1299. Februar 9.

In nomine domini. Amen. Cum humana memoria labilis sit et caduca, convenit ea que in humanis actibus perpetue sunt memorie commendanda scripturarum testimonio perennari, ne ignorantie mater oblivio ex processu temporis labi faciat ab humana memoria que geruntur. Nos igitur Cunradus nobilis de Bockesberg recognoscimus presenti scripto ad notitiam tam presentium quam futurorum transmittentes, quod viris religiosis et honestis fratri Hermanno dicto Lesche provinciali Franchonie commendatori domus sancte Marie Theuthonicorum in Mergentheim ceterisque eiusdem domus fratribus infra notata bona ad nos iure proprietatis spectantia in diversi generis annona Hallensibus pullis anseribus caseis aliisque pensionibus redditus triginta librarum et octo solidorum Hallensium minus IIII Hallenses annuatim summarie solventia cum eorum usufructibus obventionibus et attinentiis omnibus, iudiciis videlicet pascuis pratis virgultis silvis nemoribus aquis aquarum decursibus viis inviis aliisque, que in eisdem bonis singulis et universis quesitis et inquirendis nobis competebant iuribus, provinciali et fratribus memoratis pro trecentis libris Hallensium et quatuor libris minus XL Hallensibus venditionis tytulo de verbo et consensu expresso nobilis viri Krafthonis de Hohenloch cari avunculi nostri, quem successorem sive hereditarium possessorem post obitum nostrum omnium bonorum nostrorum condicionabiliter si absque liberis veris et legitimis mori nos contingeret fecimus et substituimus, tradidimus dedimus et in hiis scriptis donatione libera tradimus atque damus iure meri proprii perpetuo possidenda. Omnia quoque iura cum rerum dominio, que nobis in eisdem competebant bonis aut que iam dicto nostro avunculo Kraft-honi de Hohenloch ratione hereditarie successionis ut predicatur competere poterant, in provincialem et fratres sepe dictos translatione libera transferimus ipsosque in eorundem bonorum singulorum et universorum vacuam et quietam possessionem misimus et mittimus in hiis scriptis a nobis nostroque avunculo predicto et ab omnibus suis heredibus omne ius quod in ipsis nobis competeat bonis in hiis presentibus pure et liberaliter abdicantes excepto iudicio quod ad nos spectare dinoscitur in quibusdam subsignatis villis. In bonis autem memoratis provinciali et fratribus venditis et donatis que sita sunt villis in eisdem in quibus iudicium habebimus nullam iudiciariam potestatem

II

habebimus de cetero exercendi, sed a qualibet nostra iurisdictione erunt libera et exempta promittentes insuper et in hiis nos litteris firmiter obligantes memoratis provinciali et fratribus de predictorum bonorum proprietate iuxta morem et ius terre plenam warandiam nos facturos. Quam siquidem a commendatore vel fratribus requisiti non fecerimus, extunc nobiles viri dominus Rudolfus comes de Wertheim socer noster dilectus et Conradus filius prefati avunculi nostri Krafthonis de Hohenloch, Fridericus de Vlache¹ et Cunradus dictus Clinchart milites, quos super eadem facienda warandia fideiussores dedimus atque damus, a supranotatis provinciali vel fratribus moniti infra quatuordecim dies post ammonitionem proxime numerandos civitatem Herbi-polensem intrabunt per se vel duo servi nobiles cum quatuor equis vice et nomine predictorum nobilium videlicet comitis Rudolphi de Wertheim et Cunradi de Hohenloch cum predictis duobus militibus tamdiu se ibidem in obstagio recepturi, donec warandia huiusmodi fuerit plene facta. Notandum preterea quod si unum vel plures predictorum fideiussorum ante warandiam et renuntiationem non factas cedere vel decedere contingerit, alium loco cedentis vel decedentis infra mensem a tempore eius qui cessit vel decessit proxime numerandum substituere tenebimur, quem ipsi commendator et fratres duxerint acceptandum, aliter enim fideiussores superstites in obstagio se recipient per omnia ut est dictum, donec eadem substitutio compleatur. Sane sciendum quod antedictam summam trecentarum et IIII librarum Hallensium minus XL Hallensibus sepenominatos provincialem et fratres nobis in pecunia numerata dedisse et assignasse recognoscimus et constantius profite-mur, renuntiantes precise in hiis scriptis exceptioni non numerate non habite et non solute pecunie et breviter omni auxilio iuris canonici vel civilis. Hec autem sunt bona nominatim specificata que commendatori et fratribus sive domui in Mergetheim predictis in proprium ut predicatur recognoscimus nos dedisse: In villa Uffingen Cûnradus dictus Rosenpûsch solvit unum maldrum siliginis unum maldrum avene X uncias^a cum dimidia uncia Hallensium VI pullos estivales quatuor caseos. Item dictus Tobekatzte duas libras Hallensium. Item Cunradus scultetus solvit novem solidos Hallensium minus duobus Hallensibus. Idem de quibusdam bonis unum maldrum siliginis unum maldrum avene et decem solidos Hallensium. Idem de curia sua quinque solidos Hallensium. Item domina dicta Zebengerin unum maldrum siliginis duo maldra avene octo uncias Hallensium sex pullos estivales et quatuor caseos. Item domina dicta Ulrichin solvit dimidium maldrum siliginis quinquaginta Hallenses duos pullos et quatuor caseos. item dictus Wizze solvit quator uncias

^aIm Kopialbuch ist hier die Randbemerkung von gleichzeitiger Hand gemacht: *thut vermeg des Zinsbuchs 26 d. 1/2 Heller und also 1 untz 2 1/2 d.*

¹Vermutlich jetzt Sodenberghof bei Hammelburg, KG, .

III

Hallensium et duos pullos. Item dictus Lutwin solvit dimidium maldrum siliginis quinquaginta. Hallenses duos pullos et IIII caseos. Item fabrissa solvit XL Hallenses et duos pullos. Item bona iuvenis Heroldi solvunt I maldrum siliginis et dimidium maldrum avene quatuor uncias Hallensium sex pullos et dimidiam aucam. Item domina dicta Langin solvit dimidium maldrum siliginis dimidium maldrum avene quatuor uncias Hallensium sex pullos et I aucam. Item in villa Schilingestat dictus Hoveman solvit de curia sua novem maldra siliginis novem maldra avene duos medios sumerinos olei sive papaveris unum solidum denariorum pro wisunga et decem pullos estivales. Item bona dicti Jungerman solvunt unum maldrum siliginis unum maldrum avene XVI uncias Hallensium unum pullum carniprivialem et unam aucam. Item Cunradus dictus Hobach solvit VII maldra siliginis et sex maldra avene. Item Sifridus Mere decem uncias Hallensium. Item pueri Heroldi de Steten² solvunt unum maldrum siliginis unum maldrum avene XVIII solidos Hallensium XII pullos et unam aucam. Item bona dicti Vrunst solvunt decem solidos Hallensium et duos pullos estivales. Item faber solvit IIII uncias Hallensium. Item Irmengardis dicta Gözin solvit quatuor uncias Hallensium. Item in villa Swabehusen Hermannus filius Vugelerinne solvit XVI uncias Hallensium et sex pullos. Item in villa Nuwesteten Ebelinus solvit septem maldra siliginis duo maldra avene sex pullos unam aucam et dimidium sumerinum olei sive papaveris. Item Schellin solvit quinque solidos et IIII pullos. Item in villa Epelingen Sifridus Isenhut solvit quinque maldra siliginis unum maldrum tritici sex maldra avene sex pullos duas aucas duas urnas vini vel octo solidos Hallensium. Item in villa Bogstat domina dicta Höngerin solvit unum maldrum siliginis XVI uncias Hallensium decem pullos et unam aucam. Item Heinricus dictus Henne et Heinricus filius Volperti solvunt unum maldrum siliginis decem solidos Hallensium quinque pullos et unam aucam. Item Heinricus dictus Hellerman solvit decem solidos Hallensium et quinque pullos. Item Woltze et Heinricus dictus Drigel solvunt quinque solidos Hallensium et duos pullos. Item Hedewig dicta Bitterolfin et Cunradus dictus Torhaupt solvunt quinque solidos Hallensium et duos pullos. In quorum omnium et singulorum que premissa sunt testimonium et robur inconvulsum nos Cunradus nobilis de Bockesberg predictus presens scriptum cum appensionibus sigillorum nostri et predicti comitis de Wertheim soceri nostri fecimus communiri. Testes sunt fideiussores predicti, frater Reinhardus commendator domus Theutonice Herbipolensis, frater Heinricus dapifer vicecommendator in Mergentheim, frater Eberswinus, frater Hermannus de Meiningen, . . notarius predicti comitis de Wertheim, Cunradus scultetus noster de Üftingen et alii quam plures fidei digni ad hoc vocati testes et rogati.

 Acta sunt hec anno domini

²Schloss Stetten, Kocherstetten, Künzelsau, KÜN.

IV

MCC nonagesimo IX., in octava purificationis beate Marie virginis gloriose. Nos quoque Kraftho nobilis de Hohenloch predictus venditionem de iam dictis bonis provinciali et fratribus prefatis et supra notatis factam de nostro verbo et consensu expresso dicimus processisse, in singulis etiam clausulis et articulis de nobis supra in specie vel in genere mentionem facientibus pure et expresse consentientes recognoscimus omnia et singula que de nobis dicta sunt veraciter ita esse. In quorum omnium testimonium evidens has literas cum appensione nostri sigilli duximus muniendas.

 Acta sunt hec anno domini et die prenotatis.

—

Der Textabdruck folgt einer Abschrift des Deutschordensarchivars Breitenbach aus dem 18. Jahrhundert im StA Ludwigsburg.

 Damit ist verglichen eine Abschrift im Kopialbuch des Deutschordenshauses Mergentheim von 1555, Bl. 10 ff. und eine deutsche Übersetzung ebd., Bl. 127 ff. Keiner der Texte ist ganz korrekt.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

StA Ludwigsburg

Signatur/Titel des Originals:

JL 425 Bd. 1 Qu. 197

Überlieferung und Textkritik:

Abschrift: HStA Stuttgart H 14 Nr. 62, S. 10 ff. Übersetzung: HStA Stuttgart H 14 Nr. 62, S. 127 ff. Vidimus, deutsch von 1437: B 247 II U 31.

Regesten:

KARL WELLER (HRSG.): Hohenlohisches Urkundenbuch, im Auftrag des Gesamthauses der Fürsten zu Hohenlohe, 3 Bde., Stuttgart 1899-1912, Bd. 1, S. 432, Nr. 601.

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Ohne Ortsangabe

Aussteller:

Konrad; von Boxberg

Ortsindex:

Bad Mergentheim Wohnplatz (3643)
 Bad Mergentheim, TBB
 Bobstadt Wohnplatz (3667)
 Bobstadt, Boxberg, TBB
 Boxberg Wohnplatz (3669)
 Boxberg, TBB
 Epplingen Wohnplatz (3670)
 Epplingen, Boxberg, TBB
 Franken
 Hammelburg, KG
 Hohenlohe, Simmershofen, NEA, W
 Meiningen, SM
 Neunstetten Wohnplatz (2422)
 Neunstetten, Krautheim, KÜN
 Schillingstadt Wohnplatz (3982)
 Schillingstadt, Ahorn, TBB
 Schwabhausen Wohnplatz (3686)
 Schwabhhausen, Boxberg, TBB
 Uiffingen Wohnplatz (3692)
 Uiffingen, Boxberg, TBB
 Vlache
 Wertheim Wohnplatz (3960)
 Wertheim, TBB
 Würzburg, WÜ